

ribus, et sic perduntur omnia illa, quæ possent interim facere, et tamen nullum est magis damnium quam temporis; quia damna rerum sunt recuperabilia, damnium autem temporis nequaquam maxime, quia Deus exactissimam rationem petet a nobis de tempore concessio ad vitam, et bene operandum, in quo fuerit expensum. Unde S. Antoninus merito exclamat: O quam male poterunt reddere rationem de tempore, qui totos dies, et aliquando etiam noctem adjungunt circa ludum, et non solum amittunt ipsi ludentes tempus, sed alios amittere faciunt, qui scilicet aspiciunt. S. ANTON. p. II, T. I, c. XLIII, § 6.

*Quia aliorum infectivus est; uti idem Sanctus indicavit, dicens: Hoc vitium videtur infectivum, cum enim quis videt alium ludere, ubi nihil cogitabat de ludo, inclinatur ad simile. Quod etiam Abulensis confirmans; Corruptantur, inquit, proximi multipliciter videntes istos ludos, cum erudiantur ex hoc ad malum. Ib. ABUL. q. LV, cit.*

*Quia consuetudo ludendi difficulter relinquatur; nam, teste Aristotele, generatus habitus, adhuc ex iteratis actibus dilatatur, et firmatur magis, et dilatatus habitus in ejus actibus magis ac magis delectat, et delectatio perficit opus. Sic lusor frequentanter ludos ita delectatur in eo, ut totam quasi suam felicitatem videatur ibi ponere. Et quia consuetudo est altera natura, sicut natura illam tolli non possunt, ita, quæ in consuetudinem ducta, ut a ludis vix possint homines avelli, quantumcumque perpendant ex hujusmodi vituperari et consummari. (ARIST. In Ethic.) Sed et Cantipratensis ait: Assueti talibus, de facili non desistunt. Ardor tantus inest lusoribus, ut omnem verecundiam perdant. CANTIPR. l. II, c. XLIX, § 8.*

*Quia usurarium facit hominem; nam terribilior usura, quæ fit in mundo, et turpior quaestus est ludus. Nam ex eo, quod usurarius accipiat centum pro centenario in uno anno, tu facies illud damnium proximo tuo in hora una. (S. BERN. tom. IV, ser. XXXIII, p. 1). Idem quoque S. Bern. tom. I, in serm. quodam dixerat: Satis hinc inde repenso, nec hucusque reperire novi in saeculo isto lucrum, tot impietatis ac maledictionibus plenum, sicut est illud, quod per ludum acquiritur.*

*Quia per ludum immoderatum tres leges violantur. Est contra legem Divinam, quia virtuti charitatis immediate adversatur, si quis tem-*

poralia proxima bona cum ipsis damno desideret, et idcirco hoc ipsum in ultimo Decalogi præcepto expresse prohibetur. Est quoque contra legem Naturalem, quia lusor facit alteri, quod sibi fieri nolle, spoliando collusorem bonis suis, et sæpe etiam illis, quæ ei ad propriam et familie suæ sustentationem sunt necessaria. Est denique contra legem Positivam, quia multæ leges civiles et canonicæ, in Reipublicæ commodum, lusus alearum et chartarum severe interdiciunt. MANSI, d. VII, n. 4.

## ASCETICA.

*In primis nosse debet Asceta, quando licitus sit moderatus lusus; id quod ex S. Thoma discere poterit, sic loquente: Attendendum est, sicut in omnibus humanis actibus, ut congruat personæ, tempori et loco, et secundum alias circumstantias ordinetur debitas, ut scilicet sit tempore, et homine dignus. S. THOM. II, II, q. LXVIII, art. 2.*

*Nosse debet, quando ludus sit peccatum grave; quia in re sic loquitur S. Anton. Nota secundo, quod ludus aleæ est peccatum mortale, secundum Raymundum, quod probari potest ex pona; nullus enim debet deponi vel excommunicari, nisi pro mortali vero, vel præsumpto; sed ludens ad aleas debet deponi vel excommunicari, secundum illum Can. Episc. Ergo, etc. Quod credo verum, quando ex cupiditate quis ludit, scilicet principaliter motus, non ad recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum. S. ANTON. l. cit.*

*Nosse debet, ludum quoque in Scripturis nonnunquam cum ludo conjunctum esse. Unde dicitur: « Egrederietur de eis laus, voxque ludentium; » (JER. XXX, 19) quia ludus, debitis vestitus circumstantiis, virtus est laudabilis, quæ a sacris Doctoribus *Eutrapelia* appellatur, de quo S. Thomas sequentem statuit conclusionem inquit: Circa ludos et jocos, qui nonnunquam ad animi solamen necessarii sunt, si secundum rationem fiant, aliquam virtutem esse oportet, quam *Eutrapeliam* vocant. S. THOM. l. cit.*

*Nosse debet, quid Doctores de vitioso ludo sentiant. S. Cyprianus aleam vocat mali alveum. S. Bernardinus, multarum stultitiarum ludibrium singulare, fomitem iniquitatis et cupiditatis, Presbyterum Diaboli comitatus, cunctorum vitiorum seminarium. Petrarcha vitiorum omnium regnum,*

famæ nubem, et scelerum stimulum. *Aquid Mansi, d. I et III.*

## MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABLES.

Observandum est, quod S. Paulus de ludo, qui Ismaelem inter et Isaac agebatur, cujus in Genesi, c. XXI, fit mentio, loquens, eundem persecutionis nomine appellavit, inquit: « Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, » ita et nunc; sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, et filium ejus. Ubi primo advertendum est, ludi hujus ancillam servæ cujusdam Ægyptiæ fuisse filium, ut inde servitutem colligeremus, quam vitium hoc suis insinuat sequacibus, servos suos illos efficiendo, suæque tyrannidi subjectos propria libertate privando. Lusus intellexit Sara persecutionem, inquit Glossa, ex merite S. Aug. Origenes quoque interrogat, inquit. Quid huserat aut quid nocerat, si ludebat? Apostolum miror, qui ludum hunc persecutionem pronuntiavit, dicens: « Sed sicut tunc is, qui secundum, etc. » cum nulla utique persecutio Ismaelis adversus Isaac mola referatur, nisi hic solus ludus. Verum tamen ludo proprium magis epithetum dari non poterat, quam quod persecutio appellaretur, quia major persecutio dari nequit, quam quæ per hoc vitium homini intentatur, utpote, quod tempus nobis eripit adeo pretiosum; facultates auferit, quas tantopere custodimus; famam et existimationem, quæ adeo quæritur, deprædatur; virtute quoque spoliât, imo nonnunquam et anima, tametsi pretiosissimus sit thesaurus, quem possidemus; et tamen adeo insani sumus, ut hanc persecutionem data opera quaeramus, investigemus, promptaque pecunia, nec non innumeris periculis et anxietatibus comparemus. Is qui semetipsum lacerat, et indigne habet, tanquam stultus et cerebro vacuus, ligatur, et ab omni conversatione humana sequestratur; at vero talis est omnis lusor, utpote qui inimicus et persecutor est sui ipsius, prout SS. Patres diversi optime probant.

Petrarcha quemdam, qui se in ludo vicisse gloriabatur, his verbis introducit: Lusi et vie! Cui tam ipse respondet inquit: Bene,

nisi in campum redis, alioquin nullus campus planior, nullo in campo volubilior est fortuna. Ludes iterum, et perdes; quod vicisti autem, hinc atque illinc mille diripient, et quod perdidideris, nemo restituet. Hi, qui vineunt, inquit vir quidam sapiens, adeo sunt rari, ut corvus albus; hi vero, qui ex ludo depauperantur, adeo sunt innumeri, ut muscæ Apuliæ. PETRARCH. dial. XXXVII.

## LUXURIA.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est inordinatus appetitus venererorum, ut S. Thomas definit; vel, ut alii, impure et libidinose voluptatis appetitus inordinatus. Desumptum est hoc nomen a luxu, qui est immoderata appetitio ejusdemque rei gratæ, rationi non obtemperans. Unde S. Thomas ait, luxuriam principaliter esse circa veneras voluptates, secundario autem excessum in aliis dicere. S. TH. II, II, q. CCLV, n. 1.

Diviso. — Dividitur in septem species, quarum 1. est *Fornicatio*, seu concubitus soluti cum soluta (quæ sit a voto, matrimonio, religione libera) ex mutuo consensu. 2. *Stuprum*, seu virginis defloratio, ipsa inviata facta. 3. *Raptus*, seu mulieris vi abductæ violenta violatio. 4. *Adulterium*, seu conjugis cum persona soluta vel conjugata concubitus. 5. *Incestus*, seu congressus cum consanguinea vel affine usque ad quartum gradum. 6. *Sacrilegium*, seu rei sacræ (sive locus sit, sive persona) violatio per actum venerum. 7. *Vitium contra naturam*, seu congressus, a quo est impossibilis generatio; et subdividitur in quatuor alias species, nempe *Mollitiam*, quæ absque congressu voluntarie procuratur seminis fluxus; *Sodomiam*, seu congressus duarum ejusdem sexus personarum; *Bestialitatem*, seu concubulum cum alio subjecto, quam homine; et *Congressum in naturalem*, cum scilicet debitis quidem sexus servatur, sed modus inordinatus sine legitima causa adhibetur.

Actus. — Primus est, *Cogitationes pravæ*, licet absque delectatione morosa. fovere; de quibus S. Jacobus locutus est, dum dixit: Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo



tentatur, Deus enim intentator malorum est, sed unusquisque a sua concupiscentia tentatur, abstractus et illectus. JAC. I, 13.

Secundus est, *Morosa delectatio in cogitationibus impuris*, de qua Jeremias dixit: Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? JER. I, 14.

Tertius est, *Consensus simplex in opus luxuriosum*, de quo idem S. Jacobus dixit: Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum. JAC. I, 14.

Quartus est, *Aspectus libidinosus*, de quo S. Job dixit: Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine; quam enim partem haberet in me Deus desuper? JOB. XXXI, 1.

Quintus est, *Verborum impudicorum prolatio*, de qua S. Paulus dixit: Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut deceat Sanctos. EPH. V, 3.

Sextus est, *Oscula impudica*, de quibus V. Beda sic loquitur: Qui verba vel oscula meretricis amplectitur, quasi januam jam gehennalis abyssi pulsant, citoque mergitur, si pedem cautus non retrahit, si non membra reliqua a vicinia cohibet foveæ penalis, in quam nullus omnino, nisi filius ire labitur. Apud MARCHAN. *Tub. Sac.* tr. II, lect. 7.

Septimus est, *Tactus et amplexus impudici*, de quibus illud Siracidis intelligi potest, Qui tetigerit picem, inquinabitur ab illa. ECCL. XIII, 1.

Octavus est, *Ipsius operis consummatio*, de qua S. Jacobus: Peccatum cum consummatione fuerit, generat mortem. JAC. I, 15.

Nonus est, *Consuetudo operis luxuriosi*, quam expertus S. Augustinus dixit: Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed ferrea mea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo. S. AUG. I. VIII, *Conf.* c. v.

Decimus est, *Necessitas quedam ex frequentatione orta*, de qua idem S. Aug. mox addit: Et dum non resistitur consuetudini, facta est necessitas; quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis tenebat me obstrictum dura servitus. (Idem. I. c.) Nam ut S. Gregorius bene advertit, nitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit. Ad rectitudinem conatur, et labitur; quia, ubi diu sponte perstitit, ibi, et cum

noluerit, coacta cadit. S. GREG. H. XXVI, in *Ev.*

## EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS.—Fugite fornicationem; omne enim peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. I. COR. VI, 18.

Ego autem dico vobis, quoniam omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo. MATH. I, 29.

Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta sua non ardeant, aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. PROV. VI, 27.

Equi amatores et emissarii facti sunt; unusquisque ad uxorem proximi sui hinciebat. JER. V, 9.

Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationis in medio eorum. OSEE, V, 4.

Onager assuetus in solitudine, in desiderio anime suæ attraxit ventum amoris sui, nullus avertet eam. Nam onagra, cum semel naribus hausit odorem masculi, tam perdit eum insequitur, ut nullis viribus detineri queat. JER. II, 24.

FUGA.—Ne des mulieri potestatem anime tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, et confundaris. ECCL. IX, 2.

Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te et hereditatem tuam. IB. 6.

Attende tibi, fili mi, a fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. TOB. IV, 13.

Cum aliena muliere non sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum; et non alterceris cum ea in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, et sanguine tuo labaris in perditionem. ECCL. IX, n. 12.

Fornicatio autem, et omnis immunditia, et avaritia, ne quidem nominetur in vobis, ut deceat Dei Sanctos. EPHES. V, 3.

Hæc est voluntas Dei, ut abstinatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, que ignorant Deum. I. THESSAL. IV, 3.

Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere; si præstos anime

ne concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. ECCL. XVIII, 30.

Induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideris. ROM. XIII, 14.

Nescitis, quoniam corpora vestra sunt membra Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit! I. COR. VI, 13.

DAMNUM.—Qui se jungit fornicariis, erit nequam, putredo et vermes hereditabunt illum, et extolletur in exemplum majus, et tolletur de numero anima ejus. ECCL. XIX, 3.

Fovea profunda est meretrix, et puteus angustus aliena. Insidiatur in via quasi latro, et quos incautos videt, interficit. PROV. XXIII, 27.

Omnis mulier, que est fornicaria, quasi stercus in via, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. ECCL. IX, 10.

Qui adulter est, propter inopiam cordis perdet animam suam, turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur. PROV. XVI, 32.

Væ, qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. AMOS. VI, 4.

Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. GEN. VI, 3.

Inclinasti femora tua mulieribus, potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, profanasti semen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos, et incitari stultitiam tuam. ECCL. XLII, 22.

Inclinata est ad mortem domus ejus, et ad inferos semine ipsius, omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vite. PROV. II, 18.

## EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS.—Quantos leones domuit una infirmitas delicata, id est, luxuria, que cum sit vilis et misera, de magnis efficit prædam. S. AUGUST. *de Singul. Cleric.*

Qui luxuriatur, vivens mortuus est, et ferreas mentes libido domat, que majorem in virginibus palliat famem, dum dulcibus putant omne, quod nesciunt. S. HIER. *in Epist.*

Libido transacta semper relinquit sui penititudinem, et nunquam satiatur, et extinc-

ta reaccenditur, usu crescit et deficit; nec rationi pareat, que impetu ducitur. *Ibid.*

Luxuria curus quadriga volvitur vitiorum, ingluvie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie vestium, otii corporisque resolutione; trahitur equis duobus, prosperitate vite, et rerum abundantia; et qui his præsidet, duo sunt, ignavie torpor et infida securitas. S. BEN. *super Cant.*

O extrema libidinis turpitudine, que non solum mentem effeminat, sed corpus enervat; non solum maculat animam, sed foedat personam; semper illam precedunt ardor et petulantia, semper comitatur fœtor et immunditia, semper sequitur dolor et penitentia. HUGO.

Qualis est in oculis hominum, qui inversis pedibus ambulare videtur; talis est in oculis Angelorum, cui propria caro dominatur. S. AUGUST.

Sævus criminum stimulus libido est, que nunquam quietum patitur manere affectum, nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, a negotio abducat, a ratione revocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat, nullus peccandi modus, et inexplabilis scelerum situs nisi morte amantiss extingu non potest. S. AMB. I. II, c. v, *de Cain et Abel.*

Inter omnia certamina Christianorum sola dura sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, et rara victoria; gravem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur, et semper timetur. S. AUGUST. *in lib. de Hon. Mod.* c. II

Venter mero enim æstuans, cito spumat in libidinem; Venter enim et genitalia vicina sunt, et unum alteri subministrat. Ex vicinitate enim membrorum sequitur confederatio vitiorum. S. HIER. *in Ep.*

Cum cætera vitia se quibusdam virtutum tegumentis oppalliat, mens hujus turpitudinis conscia, tantum prima fronte præfert sue accusationis horrorem, et non solum ea hora, qua impia caro perniciosè voluptate perstringitur, sed etiam, quoties audit aliquid de turpitudine sua, rubore perfunditur, absentiamque captat, et immundi operis recordatione torquetur. CASSIOD. I. *de Amicitia.*

Quanta iniquitas, et quam lugenda perversitas, ut animam, quam Christus sanguine suo redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem libidinis Diabolo vendat! Vere enim nimium miseran-



da et plangenda conditio est, ubi cito præterit, quod delectat, et per Diabolum in cruce manet, quod sine fine cruciat. Libidinis impetus momento transit, et opprobrium infelicis animæ semper permanet. S. AUG. s. ECL. de Temp.

Omnis delectatio carnalium velut imperceptibile punctum, celerrimumque momentum est, respectu infernalium æternalium acerbissimorum suppliciorum, momentaneum quod delectat in mundo, æternum quod cruciat in inferno. DIONYS. CARTHUS. in c. xx. Job.

Avaros, superbos, invidos, iracundos plures devotos invenies, et licet peccatores, tamen pii, et qui in Deum et Sanctos ejus piam et devotam habeant affectionem; libidinosos atque absorptus est in libidinem, neque Deum, neque Sanctos reveretur, et diligit, nulla in eo devotionis scintilla, nullo spiritualis amoris vestigium. S. THOM. VILLANOV. conc. II, de S. Idelph.

Luxuriosus comparatur porco; si enim ex una parte videret luti volutabrum, et ex alia parte lectum rosarum positum, eligeret in volutabro luti resolvi, quam in rosarum lecto; sic tales immunditiam luxuriæ deliciis Paradisi præponunt. S. BERN. l. IV, s. XI.

Luxuria non est vitium corporum pulchriorum vel suavium, sed animæ perverse amantis corporeas voluptates neglecta temperantia, qua aptamur spiritualibus. S. AUG. de Civ. Dei.

Malum luxuriæ et cogitatione perpetratur, aut opere, callidus enim adversarius noster, cum ab effectu operis expellitur, secreta cogitatione pollere nititur. S. GREG. in Moral.

Alia est carnis luxuria, qua in castitate corrumpitur; alia cordis, qua de castitate gloriatur. S. BERNARD. in Serm.

DAMNUM. — Revera voluptates corporeas similes sunt copis et aliis, multum enim pungitive acrimoniae et irritamenti suggerunt, in amorem vero graveolentiam, et vix elucibilem immittunt his, quorum voragines se semel ingesserint, plurimum lacrymarum conciliant suis affectatoribus. S. BASIL. in c. I, Is.

Laboriosa prorsus et ad superandum difficile est carnalis illecebra, qua die noctueque spiritus infesta sentitur, foris habet, cui adhæreat, et contra quem se viat intus, propagatur in carne, coalescit in tempore,

enutritur in vitis, neglecta roboratur, et dum dominatur, interimit, nunquam rationis legibus cedit, nunquam superata quiescit, semper floret, semper viget, serpit continuo ut cancer, sævit ut ignis, rapit ut leo, timet ut coluber, insidiatur ut latro, ceno volutatur ut aper, sat nunquam dicit, ut infernus; inflammat totum corpus nativitate inflammata a gehenna, libidinum pruritus excitat, concupiscentias movet, fugat prudentiam, castitatem impugnat. S. LAUR. JUST. de Inst. Confecta, c. III.

Sol hominum, Salomon thesaurus deliciarum Dei, sapientiæ singulare domicilium, crasso tenebrarum fuscato atramento, lucem animæ suæ, gloriam domus suæ, odorem fame suæ amisit amore mulierum, et postremo curvatus coram Baalim, ex Ecclesiaste Domini, mutatus est in membrum Zabuli. S. HIERON. opusc. ad Ruf.

Samson validus et fortis, leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit; vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum; messes incendit alienas, et unius ipse mulieris accensum igniculo, messes suæ virtutis amisit. S. AMBR. Apol. de David.

De nullo peccato legitur dixisse Deum quod penituit, se fecisse hominem, nisi de peccato carnis, pro quo totum mundum diluvio delevit. S. HIER. ap. Mansi, d. XI, n. 12.

Luxuria comparatur gehennæ; nam in gehenna sunt specialiter tria, ignis ardens, vermis rodens et sulphur fetens; sic in peccato luxuriæ est ignis concupiscentiæ, vermis, scilicet fumus, et ideo, qui est in peccato luxuriæ, jam quodammodo est in supplicio gehennæ. S. BONAV. l. c.

Ut Diæmon Christi impedire posset argumens, ad consuela concurrunt muliebris arma, cum quibus olim strenuissimos debellaverat Daues, Adam quippe de Paradisi amenitate deiecit; Loth in filiarum compulsi stuprum; Samson in manus Philistinum dedit; David in adulteri atque homicidii crimen induxit; Salomonem etiam, sapientia perditam, alienigenarum Deos thurificare coegit; Apostolorum novissime Principem in Magistri negatione prostravit; hominum quoque redemptionem, mediante Pilati uxore, ne fieret, laboravit. S. LAUR. JUSTIN.

Non est aliquod vitium, per quod minus tantum subiciatur Diabolo; hoc peccatum

tum lætificat infernum, et quasi totum mundum trahit ad supplicium. Hic cedit exemplum de consilio Luciferi, in quo Daemones per totum mundum dispersi referebant mala, quæ commiserant; et omnes percutiebantur, solum Daemon, qui per quadraginta annos monachum ad luxuriam provocaverat, fuit a Lucifero coronatus. S. BERNARD. l. IV, s. XXI, de Luxuria.

Magis per luxuriam humanum genus subditur Diabolo, quam per cætera vitia; cum enim ille variis tentamentis illectos homines conetur pervertere, magis tamen mechandi desiderium suggerit, quia utrumque sexum in hoc vitio amplius ægrotare intendit. S. ISIDOR. l. II, Sent. c. XXXIX.

Ipsæ quoque voluptates impudicæ animam impediunt salutem, oblivionem Dei inducunt, a sapientia mentem retrahunt, sterilitatem honorum operum inferunt, auferunt animi virilitatem, hominem impatientem faciunt, et spiritualibus deliciis cor privant.

Nihil in homine, quem possidet, ignis hic relinquit inustum, etsi fuerit quispiam in juventute sua omnium virtutum decore præfulgidus, et veluti paradisi Dei, vernantibus undique et fragrantibus gratiarum liliis dealbetur, si semel intima ejus hic penetraverit rogos, totum funditus urit, totum absumit, totum redigit in favillam, ex ameno paradiso in desertum horridum, et ex Angelo reducit in belluam. S. THOM. A VILLAN. c. II, de S. Idelph.

Luxuria est quidam ignis infernalis, cujus gula est materia, turpitudine flamma, immunditia cinis, infamia fumus, tormentum finis. DIDAC. STELLA, in c. XV, Luc.

Eadem corpus debilitat, et quasi semper ipsum morte destruit, famam denigrat, marsupia evacuat, furtiva instruit, homicidia causat, memoriam hebetat, cor aufert, oculos utriusque hominis caecat, et præ cæteris iram Dei provocat. Pro nullo reatu tam manifestam justitiam exercuit Deus sine misericordia, quam pro isto. EUSEB. ep. ad Dand.

Luxuria gratuita tollit, animam inficit, corpori morbum paralysis ingerit, et cæcitatem oculis, corpus inquinat, famam defflorat, pecuniam tollit; inimica est proximo, foetet Deo, placet Diabolo, odibilis Angelis, ejus ignis descendit in infernum, fumus ejus vindictam petens ascendit in caelum. HUGO DE S. VICT. de Inst. Mon. l. IV, c. X.

Sunt quædam vitia sic colligata, ut quam-

primum unum admittas, aliud te invadere necessum sit; trahit luxuria et libidinis ardor ad omnia, quæ vult, etiam maxima vitia sint et peccata. OLEASTER, in Numer. c. LXXXV, 2.

Nullus ad Dei contemptum promptior, nullus ad malum perpetrandum audacior, nullus ad persistendum in peccato tenacior, quam luxuriosus. S. THOM. VILLAN. l. c.

Luxuria est inimica Deo, inimica virtutibus; perdit omnem substantiam, et ad præsens voluptate delinens, futuram non sinit cogitare paupertatem. S. AUGUST. de Doctr. Christi.

O quam acerbis est fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio! S. HIERON. in epist.

O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna! Idem.

Quælibet alia fiant bona opera, si luxuriæ scelus non abluatur, immensitate hujus vitii obruantur. S. GREG. l. XXI Mor.

Quis ejus multiplices species enumerare valeat? Hæc enim Pentapolim cum adjacenti regione subvertit, Sicheim cum populo interemit; hæc filios Judeæ percosit, Judæum et Madianitem pugione transfodit, tribum Benjamin pro uxore Levite delevit, filios Heli Sacerdotis in bello prostravit; hæc Uriam occidit, Ammon interfecit, plurimos lapidavit; hæc Ruben maledixit, Samsone seduxit, Salomonem pervertit. Verum est ergo: Propter speciem mulieris multi perierunt. HUGO.

Ex quo luxuria semel mentem occupaverit, vix cum bona cogitare permittit; sunt enim desideria viscosa, quia ex suggestionem oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatio damnatio. S. GREG. in Moral.

De luxuriæ cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus presentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur. S. GREG. l. XXXI Mor.

Demptis parvulis, ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur. S. REMIGIUS, Rhemensis Episc. in Ep. ad Rom.

Computraverunt jumenta in stercore suo, inquit Joel. Jumenta autem computrescere,



teste S. Gregorio, est, carnales homines in fœtore luxuriæ suæ vitam finire; non enim esse homines sed jumenta declarantur, de quibus per Prophetam dicitur: Unusquisque ad uxorem proximi hinciebat. S. GREG. XXIV Mor.

Hos homicidæ deteriores judico, nam mori præstat, quam ita ignominiose vivere; homicida enim a corpore animam divellit, hic vero animam simul cum corpore perdit, et quodcumque peccatum dixeris, nihil huic sceleris æquale reperies. S. ISIDOR. c. XXXV, t. I.

Luxuria est immoderata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, perniciosa potio, quæ humanum corpus debilitat, et virilis animi robur enervat. BEDA, de Templo Sale.

Venus est illecebrosa voluptas, adulterina jucunditas, quæ mel habet in ore, fel in corde. Ibid.

Luxuria homicidas facit. S. CHRYSOST. sup. Matth. XIV, hom. IV.

FUGA. — Fuge consilia inimici improba, o homo, recordare tuorum cum Deo pactorum, et sanctificationem custodi, ut gratiam invenias coram Domino. Quos occidere in eremo morsus serpentum non potuerit, hos Madianitarum fornicatio prostravit, ut etiam Idolorum victimas comederent. S. ERN. c. IX, super Attende.

#### EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — Dulcitus Præses putasse rem habere cum SS. Virginibus Agape, Chione et Hirene, ollas et sartagine amplexus est, totusque nigredine infectus omnium ludibrium factus est. Spec. Ex. dist. VIII, ex. 80.

Theotimus quidam lumen a medicis congressu uxoris abstinerere, ni luminibus privari velit, neglexit consilium, et in ipso congressu dicens: Vale amicum lumen! completa libidine oculis orbatus est. Ibid, ex. 107.

Luxuria tentatus Monachus quidam juvari non potuit a sene, quia cooperari volebat, et tentationibus resistere. Vita PP. I, III, n. 13.

S. Hieronymus de seipso fatetur: O quoties ego ipse in eremo constitutus, in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis! Se-

debam solus quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, et squalida cutis sicut athiopica carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; et si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum, sæpe choris intereram puellarum, palebant ora jejuniis, et mens desiderii æstuebat in frigido corpore, et ante hominem suum jam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. S. HIERON. ep. XXII.

S. Pachomius optabat ferarum dentibus laniari, eo quod 40 annorum solitudine, juniorum, aliarumque rerum asperitate hunc hostem expugnare non potuerit, licet nunquam penitus eidem succubuerit. PAL. LAB. c. XXVI.

Moyses e latrone Eremita, licet integro sexennio jejunia, vigiliis, preces, multasque lacrymas adhibuerit, non potuit tamen lasciviam carnis domare, donec post multos labores exantlatis, benedictione Patris sui Spiritualis quietem aliquam, fremente licet Satana, meruisset. Ib. c. XXII.

S. Catharina Senensis, si aliquando a persona aliqua luxuriæ dedita salutabatur, nihil respondit, sed tergum obvertit, dixitque, se ex anima illorum tantum fœtorem efflantem sensisse, ut ad vomitum provocaretur. RAYMUNDUS, in Vita.

S. Pachomius cum Demoni, qui in specie Æthiopissæ ad scelus ipsum incitaverat, colaphum infregisset, fœtorem manu contractum vix duobus annis eluere potuit. PAL. LAB. c. XXIX.

S. Euthymius, si forte aliquis, qui turpi suggestioni consenserat, pone ipsum transibat, tantum fœtorem sensit, ut a Demone possessus videretur. SERRUS, 20 Jan.

Angelus quidam cum juxta cadaver transiens nullum horrorem ostendisset, juvene vero libidinoso, et floridum sertum gerente ipsi obviante nares obturasset, quasi a cliente causam facti respondit, juvenem illum in conspectu Dei plus fœtore, quam cadaver quantumcumque putridum. Vita PP. tom. VI, l. v, n. 18.

In Britanniæ insulæ parte, quæ recentiore nomine Scotia appellatur, Jacob Rex ejus gentis, Genisdictus, publice quidem matrimonio non contraxit cum duabus sororibus,

sed cætera quidem maritalia jura cum eis exerecit. SABEL. l. IV.

Fera prorsus libido fuit Fabriensis cujusdam civis, nam cum descensente populo a Clavellis ejus urbis principibus, ne feminis quidem populi rabies ferrum peperisset, ipse cum mortua Clavellorum virgine commiscere per luxuriam non erubuit. Ibid.

FUGA. — Luxuria tentatus Frater quidam, cum audisset, mulierem illam, cujus pulchritudine tentabatur, mortuam esse, accessit ad sepulchrum, et pallio suo foetentem carnem mulieris extergens, naribus suis applicabat dicens: Ecce habes desiderium, quod requirebas, satia te ex eo. Et sic tentationem vicit. Spec. ex. dist. 2, ex. 23.

Alius quidam similiter tentatus cum sua Patris spiritualis in eremum secessisset, siccoque dumtaxat pane victitans assiduo se labore occupasset, Dæmon in specie mulieris apparens, victum se confessus est, simulque fœtore horribili relicto ostendit, quam turpem et foedam voluptatem monachus appetiisset. Ibid, ex. 301.

Senex quidam, ut tentationem luxuriæ vinceret, omnes digitos manus igni applicuit, et mulierem tentantem repente mortuam precibus suis ad vitam reduxit. Ibid, ex. 106.

S. Thomas Aquinas, cum procaex scortum in ejus cubiculo immisum fuisset, in primis ad orationem confugiens dixit: Ne sinas quæso, Domine Jesu, et tu Sanctissima Virgo et Mater, ut tam immani me scelere obstringam. Postea accepto titione fugavit illud, et ostio clauso ab Angelis cingulo circa lumbos constringi in signum continentie promeruit. SERRUS, in Vita, 7 Mart.

Adolescens Etruscus, cum adverteret, ob admirandam oris pulchritudinem feminas in amore ejus accendi, totum vultum stigmatibus exaravit. S. AMBR. lib. III de Virg. Virgo quædam Alexandrina advertens adolescentem quempiam oculorum suorum pulchritudine captum, eosdem sibi eruit, ac eidem submitit.

Nicetas in lectulo florido ligatus cum scortum ad lasciviam ipsum sollicitaret, præcisam linguam in faciem illius expuens, ac sine libidinis sensum succedente doloris magnitudine superavit. S. HIER. in Paulo, et DREX. in Niceta.

Virgines Leodicenses, ne a militibus opprimerentur, cum alio fugere non possent, in cloacas se precipitarent. JACOB DE VITRACO.

S. Ursinus Presbyter, cum jamjam mortiturus esset, accedente uxore, et num vitalem adhuc spiritum trahat, aures naribus ejus applicante, quanto valuit nisu, dicit: Recede a me, mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. S. GREG. l. IV Dial. c. XI.

Venit aliquando quidam in sene, ut fieret monachus, qui etiam accepit filium suum nuper ablactatum. Qui cum factus fuisset juvenis, ceperunt impugnatores Dæmones sollicitare eum. Et dixit patri suo: Vado ad sæculum, quoniam non valeo carnales concupiscentias sustinere. Pater autem ejus consolabatur eum. Dixit ergo illi juvenis: Jam sustinere non valeo, pater, dimitte me redire ad sæculum. Dixit ei pater suus: Audi me, fili, adhuc semel, et tolle tibi quadraginta panes, et folia palmarum dierum quadraginta diebus, et vade in eremum quadraginta diebus, et voluntas Domini fiet. Qui obediens patri suo surrexit, et abiit in eremum, et mansit ibi laborans, et faciens plectas seu funiculos de palmis, et panem siccum comedens. Et cum ibi dies viginti quævisset, ecce vidit opus quoddam diabolicum venire super se, et stetit coram eo velut mulier Æthiopissa foetida, et turpis aspectu, ita ut fœtorem ejus sustinere non posset, et abiecit eam a se. Et illa dicebat ei: Ego sum, quæ in cordibus hominum dulcis appareo, sed propter obedientiam tuam, et laborem, quem sustines, non permitit me Deus seducere te, sed innotui tibi fœtorem meum. Ille autem surrexit, et dixit ei: Deo, venit ad patrem suum, et dixit ei: Jam nolo ire ad sæculum, pater, vidi enim operationem Diaboli, et fœtorem ejus. Cognoverat autem pater de hoc ipso, et dicit ei: Si mansisses quadraginta dies, et custodisses usque ad finem mandatum meum, majora haberes videre. In vita PP. de Fortit. ex. 8.

Quidam juvenis secreta S. Andreae dixit: Mater mea pulchrum me videns, de opere illicito me attentavit, cui cum nullatenus assentirem, judicem adit, volens in me crimine tantæ nequitie retorquere; sed ora pro me, ne moriar tam injuste. Nam accusatus penitus reticito, malens vitam perdere, quam matrem tam turpiter infamare. Juvenis igitur vocatur ad judicium, et illico eum Andreas prosequitur. Accusat mater instanter filium, quod se voluerit violare. Interrogatus pluries juvenis, an res taliter se haberet, nihil penitus respondebat. Tunc



Andreas matri dixit : Crudelissima feminarum, quæ per tuam libidinem filium unicum tuum vis perire ! Tunc mulier Præposito dixit : Domine, huic homini filius meus adhesit, postquam hæc agere voluit. Iratus itaque iudex jussit puerum in saccum linitum pice et bitumine mitti, et in flumen projici, Andream autem in carcere reservari, donec excogitaret supplicium, quo periret. Sed orante Andrea tonitru horribile omnes terruit, et terræ motus ingens cunctos prostravit, et mulier a fulmine percussa et arefacta corruit. Orantibus autem cæteris Apostolum, ne perirent, oravit pro eis, et omnia cessaverunt. Tunc Præpositus credit, et domus ejus tota. VINCENT. BELOV. in *Spec. Hist.* l. IX, c. LXVII.

Refert S. Bernardinus, quod cum die quodam simul congregati essent Frater Egidius Assisinas, Frater Simon, Frater Rufinus, et Frater Juniperus, interque se collationem facerent spirituales, Frater Egidius illos interrogavit : Quid fecistis vos cum tentationibus carnis ? Cui Frater Simon, se hujus peccati turpitudinem et deformitatem considerasse, ex eaque meditatione se ad illud efficaciter detestandum motum fuisse, respondet. Frater Rufinus dixit : Ego me in terra prostrato, Deique et Sanctissimæ Mætris ejus auxilium et clementiam per ferventem quamdam orationem eo usque imploro, donec ab his liberatum me esse sentiam. Frater Juniperus respondit : Quando suggestiones diabolicas appropinquare experior, portas cordis mei per sanctas meditationes claudere, animæque fortalito bonam adhibere custodiam satago, ne inimicus illud uspiam subingredi, vel contra illud prevalere possit. Cum illæ suggestiones ostium cordis quasi pulsando percipiunt, ego respondeo ab intus : Pro te nullatenus reserata erit ; extra, extra, quia hospitium captum est, et ideo hic recipi non potestis. Et sic nunquam intrare permitto. Tandem Frater Egidius suum quoque consilium subjunxit, dicens : Tecum, Frater Junipere, consilium teneo, quia cum illo peccato tutius et distinctius pugnatur fugiendo, ubi ab intus est provocatio carnis, appetitur ab extra, per sensus sentitur tantus et tam fortis hostium exercitus ; nam aliter est tibi fortis pugna, et rara victoria. S. BERN. t. IV, s. xx de *Luxuria*.

TURPITUDO. — Refert quidam scriptor de quodam necromantico, quod, cum more suo

solito Daemonem invocasset, videretque, quod post toties iteratas incantationes minime compareret, de Daemone perfidia graviter fuerit conquestus ; cumque Daemon tandem quidem apparuisset, ita tamen, ut procul ab eo remotus subsisteret, necromanticus causam moræ, nec non, cur non propinquius ad illum accederet, sciscitatus fuit, cui Daemon respondit : Fœtor luxuriæ tuæ non permittit accedere. Magus namque ille paulo ante cum meretrice quadam turpe habuerat carnis commercium ROBERT. HOLCOR. in *Sap. lect.* cII.

Legitur in vita SS. Virginum Agapis, Chionæ et Hirenæ, quoniam cum Imperator Diocletianus esset, rumores sanctitatis Agapis et Chionæ virginum, presentatis eis sibi, promisit eis maritus de palatio suo, per quos illustres esse possent, si Christum negantes idola colerent. Cumque nullatenus Christianitate flecti possent, jussit Præsidi Diocletiano diversis tormentis eas affligere. Cum autem presentatae essent, videns eas, captu oculo- rum astrictus, turpissimo spiritu agebatur, et fecit eas apud talem officinam tradi custodiendas, qui eis libertatem promitteret, si captivæ ejus animo consensum præbuissent. Sed cum nec promissionibus, nec terrificis animi commutarent, ausus est ipse Præses cellulam ingredi, ubi illæ orantes noctem Christo pervigilem exhibebant, in quo loco omnia coquina utensilia reposita erant. Ingressus autem cum vellet perficere, ad quod eum ardor libidinis impellebat, alienatus mente cepit ollas amplecti, et sartagine osculari. In quibus diu ludificatus, totus niger, et cacabatus talis cepit esse vestibus, et in facie, qualis a Diabolo possidebatur in mente. Tandem cum suis egressus est, qui eum cum luminaribus expectabant, visoque eo omnes fugerunt, videntes eum talem, nullam habentem corporis partem, que non esset inquinata, et in partibus scissa. Stantibus enim ancillis Dei, et psallentibus, nullum penitus per eum potuit Diabolus impedimentum afferre. Videns ergo Præses se ab officio suo esse contemptum, nesciens, quid se factum esset, non est reversus in domum suam, sed cepit concito cursu ire ad palatium Diocletiani iniqui : Prosternam me invictissimis Imperatoribus, et dicam, me ita ab officio ludibrio habitum, ac cum irrisione, et clamoribus derelictum. Cumque mane aperta esset palatium, et ille totus cacabatus intrare vellet ad Cæsarem, alii vir-

gis, alii pugnis, alii in faciem ejus exultantes eum impingebant, alii quoque ridentes, alii irascentes eum expellebant, et vix poterunt eum servi ad domum suam ducere, dicentes : Respice te, et respice. Clauserat autem Diabolus oculos ejus, nec poterat se ipsum attendere ; sed videbatur ei, quod totus mundus esset, niveis vestimentis indutus. Mens autem sana in eo erat, et soli oculi tenebantur a Satana, quibus Dei Martyres obscena mentis conamine respexerat. Interea putans ancillarum Dei maleficiis evenisse, eorum publico tribunali jussit eas expoliari, ut corpora earum nuda aspiceret, sed ita fixæ inventæ sunt vestes earum, ut quasi coria corporibus juncta putarentur. Hæc attendens Dulecius, et consternatus, ita obdormire cepit in tribunali, ut nec a pulsantibus posset excitari, sed sic dormiens sublatu est in domum suam, et ibi evigilavit. Hæc audiens Diocletianus, tradidit eas Sisinnio, qui sacrificare nolentes jussit vivas incendi. Cum ergo in ignem missæ, nec vestimenta earum arderent, dixerunt : Domine Jesu, ne ab hac hora patiaris nos loqui cum his, qui te verum Deum negaverunt. His dictis prostaverunt se in oratione, et immaculatis corporibus, intactis crinibus, integrisque vestibus, digesto igne repertæ sunt. In crastino etiam jussit Hirenam locari in prostibulo, sed apparuerunt ducentibus eam duo milites dicentes : Misit nos Comes, ut ducatis eam, ubi ego dico. Et duxerunt eam in supercilio montis. Tunc videns se delusum Sisinnius, eques perrexit ad montem, et videns eam orantem, tota die giravit eam, nec tamen potuit ad eam pervenire. Tetendit autem unus servorum ejus arcum, et jaculo perforavit eam. Et sic cum gloria pervenit ad Dominum. Quarum corpora Anastasia cum gaudio sepelivit, orans Dominum, ut earum particeps fieri mereretur. VINCENT. L. XII, c. LIX, LX, LXI et LXII.

DAMNUM. — Thomas Cantiprat. de carnali quodam et lascivo viro refert, quod, dum per viride pratium quoddam deambularet, omne gramen seu herba, quam pedibus suis attingebat, exsiccata et arefacta mox fuerit. Invenit vestigia præeuntis in gramine quasi igne contacta manifestissime paluisse. Idem quoque in eodem capite sibi a persona quadam, quæ hujus rei oculatus, et fidelis testis est, relatum fuisse subjungit, se vidisse locum in gramine, ubi de vespere quidam Clerici hoc vitio infecti consergerant,

de mane omnibus circum locis abundantissimo rore infusus, sine ullo rore, quasi sceleris conscium, siccissimum remansisse. TH. CANTIPR. lib. II, *Apum* c. XXX, n. 40.

Bollandus in vita viginti sex Martyrum in Japonia crucifixorum refert, Taicosamam Imperatorem de se protestatum fuisse, facile se quoque collum suum fidei Christianæ submissurum, dummodo sibi deinde consuetis suis voluptatibus carnalibus uti et vacare liceret. BOLLANDUS, 5 Febr. n. 32.

In vita S. Francisci Salesii legitur, quod, cum is, Clemente VIII Pontifice Maximo suadente, Genevam se non sine ingenti vita discrimine contulisset, ut Bezam ab hæresi conversum Ecclesie Catholice denuo reciperet, jamque illum habuit cum eo discursus satis prolixo convictum lucratus fuisset, numquam tamen ad hoc illum permovere potuerit ut pedem suum e civitate Genevensi efferret ; cumque sanctus Præsul hanc ejus pertinaciam vehementer miraretur, Beza in sui excausationem juvenulam quamdam, quæ uxor ejus erat, coram sancto Episcopo prodire jussit, dixitque ei : Ecce obstaculum, quod ego retineor. MANS. d. vi, n. 18.

In Gallis Guilielmus Edelinus inter Theologos emeritus, Prior S. Germani in Laya, magice impietatis crimine a Censoribus fidei damnatus est. Is ob laxatas libidini habenas, in tantum scelus lapsus se confessus est, furentemque impudicitia facibus ad satanas cupiditates, quoties luberet, a maligno Spiritu ad magorum certum perducere solitum, et caecodæmonem arietis specie indutum adorasse, ut illustri feminae amoribus Dæmonis ope potiretur. RAYN. anno 1433, n. 20.

Joannes Manlius Norimbergensis sequentem casum refert, prorsus horribilem. Cum enim scholaris quidam commercio suscepisset filium, isque Baptismi suscipiendi causa delatus fuisset ad Ecclesiam, Parocho parentum nomina exquirente, nutrice vero ei edere detrectante, sine Baptismo suscepto, non sine utriusque parentis ignominia relatus est matri ; quæ contremiscens, sumque delictum in famam publicam abiturum esse formidans, sine Baptismi lavacro accepto strangulavit infantulum, injectoque collo suo resti semetipsam suspensio enecavit ; scholaris autem utriusque mortis se reum esse agnoscentes, inlixo in pectus suum ferro vitam sibi propria manu admittit. Quæ funesta fama cum ad aures Parochi perve-



nisset, hic se infantem sine Baptismo domum remittendo, funestis his eventibus causam dedisse considerans, laqueum collo suo inserens, desperabundus vitam finivit. Tandem auctor hujus historie ita concludit: Ergo oremus, et vigilemus, Satan non dormit; mille talia committuntur, sed tecta, tempore suo tamen in lucem eruenta. MASSI, d. XII, p. 18.

Bollandus in vita S. Antonini, Abbatis Surrentini, de Archiepiscopo quodam refert, quod in penam lascivæ vite suæ a Deo contagiosa quadam et pestilentiali peste percussus, horridissimam Elephantie lepram contraxit, adeo ut in totius corporis superficie, ne unum quidem naturalis coloris signum notare potuisset, omnes eum fugiebant, cuncti præ contagii timore vitabant. Cumque omnia humanorum remedium genera frustra tentasset, tandem ad hunc sanctum Abbatem confugit, qui eum nocte quadam in somnis curavit; at vero notate diligenter, quid ei dixerit: Sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat; cohibe vagam mentem, adstringe lubricam juventutem, abjice voluptatem prævaricationem, et averte oculos tuos, ne videant vanitatem. BOLLAND. 14 Febr. c. VI, n. 23.

P. Hieremias Drexelius refert, quod Sacerdos quidam omnem possibilem adhibuerit conatum, ut libidinosum quemdam ad seriam induceret penitentiam ac respicientiam; et primo quidem blandis illum ac charitatem spirantibus aggressus sit admonitionibus, cumque se per hæc nihil ab hoc lascivo homine obtinere posse cerneret, divinam illi proposuerit justitiam, peccati illius rigidissimam ultionem, demum vero illi protestatus sit, se illi e cælo peccatorum veniam nequaquam promittere, aut sacramentalem ei absolutionem dare posse; unde infelix homo obmutescens, plangere, et post singultus respondere cepit, dicens: Pater mi, licet inferni portas mihi aperias, et demones ad me rapiendum in procinctu stantes viderem, attamen in prompta et proxima peccati illius committendi occasione constitutus, ab hoc peccato me continere nequaquam possem, licet certo et evidenter me subito post commissum peccatum in ignem æternum præcipitandum esse scirem. DREXEL. in *Salom.*

Princeps ejusdem civitatis Presbyterum habebat sanctæ conversationis virum, et in

divinis Officiis, præcipue in solemnitate Missarum indesinenter assiduus. Qui cum quotidie sacris mysteriis reverenter insisteret, Angelus Domini ex consuetudine veniebat, et vidente Principe sacramentum Domini Corporis ex offerentis manibus assumebat. Sed quæ criminalis hujus vite lubrica et incerta conditio! Nam qui Angelicis fruebatur mundis obsequiis, et in fœdæ luxuria voraginem repente prolapsus est. Quid plura? Peragendi sacri Mysterii tempus advenit, Presbyter consuetudine foris exigente compellitur, sed graviter intus conscientia remordente torquetur; attamen ornatur, ad altare accedit, trepidat, palpat, et offerre præsumit. Ecce Angelus, ut assuetus fuerat, venit, inspectante Principe spongiam infectam aqua super caput illius expressit, totumque corpus illius tergendo purgavit. Expletis autem Mysteriis, eandem spongiam rursus expressit, omnesque sordes atque squalores, quos ex corpore illius ante contraxerat, membris ejus omnibus iterum superfundit. Viso Principe admiratus obstupuit, Presbyterumque, semolis omnibus secreta convenit. Inquisitus itaque Presbyter, si novi aliquid criminis admisisset, primo quidem quasi perhorrescens, facinus abnegat; deinde sibi male conscius, ac Principis auctoritate compulsus, tandem, se corruisse nocte præterita in quamdam cubiculariam ejusdem Principis confitetur. *Specul. Eccl. v. Lucif. exempl. 3.*

Erat quidam Monachus, cui habitaculum spelunca fuit, vir summæ abstinentiæ, quotidianum victum labore manuum suarum querens, in orationibus diu nocturne persistens, cunctis animi virtutibus florens; sed hic lætis successibus elatus, confidere quasi in suis profectibus cepit, et non Deo totum, sed sibi metipso, quod profecerat, deputare. Hanc autem ejus intus animæ presumptionem, continuo tentator accendit, et laqueos parat. Quadam namque die ad vesperam fingit speciem decore mulieris oberrantis per eremum, quæ velut fessa post nimium laborem, accedens ad ostium speluncæ Monachi, lassabundam se simulans ac fatigatam intrinsecus semetipsam projecit, et advoluta genibus viri, ut sui miseretur, exorat, dicens: Nox me infelicem in eremo latitantem comprehendit, jube me ergo requiescere in angulo cellulae tuæ, ne forte efficiar nocturnis bestis præda. Ad ille primo miserationis obtentu recepit intra

speluncam, requirens, quæ ei causa errandi per eremum fuerit. Illa causam fingit satis accurate, et interim venena blandimentorum, atque illecebæ virus circa omnem textum narrationis interserit, et nunc se miserandam, nunc etiam defensione indignam ostendens, elegantia et suavitate sermonis inclinat animam hominis, et in affectum sui illecebrosi amore deflectit. Hinc jam blandiora colloquia, jocus, risusque commiscetur, manus etiam procax ad mentum, barbæque quasi venerandi speciei præterdit. Tum vero palpare cepit cervicem mollius, collumque leniter tangere. Quid multa? Ad ultimum mulier captivum ducit militem Christi. Continuo enim perturbari intra semetipsum, et libidinum fluctibus estuare cepit. Nequaquam laborum præteritorum, nequaquam professionis, ac propositi sui memor, pascitur cum cordis sui concupiscentia, et intra arcana cogitationum suarum foedus cum falsa voluptate componit. Inclinat stultus latera sua, et efficitur scit equus et mulus, quibus non est intellectus, atque ubi obscenos jam conabatur inire amplexus, illa ululatum deterrimum dire vocis emittens, umbra ut erat tenuis, per manus amplectentis elabitur ipsumque dedecoris motibus inanes auras sectantem cum foetidissima irrisione deseruit. Tunc præterea multitudo Dæmonum in aere ad hoc ipsum spectaculum congregata, clamore ingenti cum cachinno exprobrationis elato, dicebat: O Monache, qui te usque ad cælum extollebas, quomodo demersus usque ad infernum! Discite, quia qui se extollit, humiliabitur. Tunc ille velut amens effectus deceptionis suæ pudorem non ferens, gravitus a semetipso decipitur, quam fuerat antea a Dæmonibus deceptus. Cum enim debuisset reparare semetipsum, et revocare certamen, ac satisfactionis suæ lacrymis, et humilitatis fructibus prioris elationis culpam deslere, hoc miser non fecit; sed semetipsum desperans, sicut dicit Apostolus, « tradidit se omni immunditiæ et iniquitati. » Regressus est enim ad vitam sæcularum, præda Dæmonum factus. Refugit namque conspectum omnium Sanctorum, ne quis possit eum salutaribus monitis de præcipitio revocare. Si enim reddere semetipsum priori vite et abstinentiæ voluisset, et de immensa Dei misericordia (quæ neminem despiciit, nemini sinum claudit, sed omnes penitentes benigne recipit) confisus fuisset,

a Deo susceptus benigne et pie fuisset, et recuperasset sine dubio locum et gratiam suam. Ib. ex. 6.

Presbyter quidam nomine tantum sanctus et castus, Monialium altioris ordinis juvenulam sub Religionis specie procurabat. Nacta ergo occasione, cum socia seniore juveneula Monialis Presbyterum visitavit. Posuit autem cibos, et potum immoderatum, Moniales in uno loco, Presbyter in altero quieverunt. Mane facta, vetula Monialis sociam juvenulam ad matutini executionem officii nisa est excitare. Quam cum strepitu primo, quia silentium tenebat, deinde pulsationibus attentasset excitare, nec proficisset, surgens quasiviv sociam, nec invenit. Turbata ergo cum tota familia Monialis, cum factum præ confusionem celare vellent, nec possent, cum horrore et scandalo multorum, sicut inventa fuerant, amborum simul cadavera sunt sepulta. *THOM. CANTIPR. t. II, c. xxxix, p. 20.*

Cum quadam die Palæmon et Pachomius ignem accendissent, Frater quidam dixit ad eos: Si quis est fidelis ex vobis, stet super hos carbones, et orationem Dominicam sensim pronuntiet. Quem B. Palæmon intelligens superbia tumore deceptum, communit dicens: Desine, Frater, ab hac insaniam, nec tale quid ulterius loquaris. Qui corpeptione senis non solum non profecti melius, sed plus elatione mentis inflatus stare cepit super ignem audacter, nullo sibi imperante; et cooperante Diabolo, et Domino permittente, nullatenus ignis tactu adustus est. Hoc itaque eum factum esset, postero die idem Frater mature proficiscens, ac velut exprobrans illis ait: Ubi est fides vestra? Post non multum autem temporis cernens Diabolus hunc sibi per omnia mancipatum, transfiguravit se in speciem mulieris pulchre, et cepit ostium cellulae vehementer extundero; qui cum aperuisset ei, ait ad eum Diabolus in forma mulieris: Obsecro te, quia nimis a creditoribus urgeor, et metuo, ne mala me comprehendant, recipias me in cellam tuam, quoniam debitu solvere nequeo, Deus enim me direxit ad te. Qui cecitate mentis penitus obscuratus, ne intelligens, quis esset, qui talia sibi loqueretur, Diabolum visum recepit in suum exitum. Tunc hostis videns eum ad omne scelus proclivem, immisit in eum turpem concupiscentiam, qui mox cedens suggestioni ejus, quasi mulieris amplexus petivit. Quem Spiritus im-



mundus invadens elisit atrociter, et resolutus super pavimentum, vel ut mortuus diu permansit. Post aliquot autem dies tandem in se reversus, et demencie suæ sero poenitens, ad S. Palamonem venit, et cum magno fletu, quid sibi accidisset, exposuit, dicens: Agnosco, Pater, agnosco, quod ego causa perditionis mee existam. Et subito correptus ab immundo Spiritu, de conspectu illorum prosilivit, et per deserta discurrens agebatur infrenis. Pervenit autem ad civitatem Panos, et ibi in fornacem sese præcipitans, protinus incendio interit. CÆSARIUS, l. XVIII. §9.

Refert S. Ambrosius super Lucam, cap. iv circa finem, qui sæpe faciente mala consuetudine etiam ea concupiscimus, que sunt corpori atque sanitati, etiam ipsi vite omnino nocitura. Quoniam, inquiens, Theotimus, cum gravi oculorum incommodo laboraret, et amaret uxorem, interdicta sibi a medico facultate coenandi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus molerari nequiverat; sciens enim et prævidens, quod oculos esset amissurus, postquam conveniret cum uxore, in ipso aestu ferventis cupiditatis et consuetudinis apparatus: Vale, inquit, amicum lumen! Statimque expleta libidine interdicta sibi, luminibus suis orbatus est. S. AMB. super Lucam.

De Benedicto IX Papa narratur, quod, cum Waelus quidam iter ageret, et juxta molendinum transiret, repente monstrum immane conspexit, quo viso subito eum terror invasit, et stupefactus intremuit. Videbatur autem monstrum illud dumtaxat in aures aselli, caudamque desinere, cætera ursus erat. Cumque viator ad hoc portentum territus obrigesceret, fugamque præcipitem formidolosus iniret, informe prodigium humane vocis verba formavit: Noli, inquit, o vir, expavescere, hominem me olim fuisse, sicut et nunc es, procul dubio crede; sed quia bestialiter vixi, post finem vite, bestia præferre speciem merui. Porro cum ille perquireret, quis fuisset? Ego, ait, solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolice sedis apicem indignus obtinui. Inquisitis autem, quid jam retributionis haberet? Nunc quidem usque ad Judicii diem per dumosa atque squalentia, per sulphurea loca, et fetores exhalantia, atque incendiis conflagrata rapior, et protrahor. Post extremum vero Judicium corpus meum, simul et animam irremediabilis cruciatus, et gehennalis

barathri me irrevocabilis olla deglutiet, ita ut nulla mihi spes recuperationis in posterum restet. Post hæc vero verba disparuit. Sed cum ego, cur ille in hac specie conspexit sit, indaginem quero, non deesse mysterium ab eo, quod visum est, deprehendo. Nam quia miserabilis ille ab illo funesti Pontificatus sui primordio usque ad finem vite in luxurie cœno versatus est, non incongrue visus est ab auribus incipere, et in caudam asini desinere. *Specul. Exempl. v. Lucaria, ex. 16.*

Carolus Magnus, religiosus Augustus, cum quadam solemnitate Missam solita devotione audiret, Diaconus ejusdem Missæ lecturus Evangelium præcedenti noctu mulierecula impudicis amplexibus se fodere non timuit. Hoc itaque gravissimo piculo cantantiam habens conscientiam, Sanctum Evangelium legere præsumpsit, postmodum etiam sacris Mysteriis secundum officii sui exigentiam eadem impudentia ministerium manibus impuris exhibiturus, si non utio divina obstitisset. Ecce namque dum verba labii pollutis depromerat, aranea desuper a laquearibus Oratoris se per filium suum semel, secundo, et tertio super caput contaminati lectoris demittens, tertia vice ipso Imperatore aspiciente caput obscenum pupugit, ac sine mora miserum extinxit. Ibi id.

B. Virgo Benedicta insigni meretrici Florentine dixit: Pensa, filia, quod multi sunt æternaliter damnati, qui non tantopere peccarunt, ac tu. Et hoc ipso die puer submergetur, et damnabitur in Hispania, qui octo annorum existens cum sorore peccare voluit, etsi non potuerit id actu complere. MICH. AB INSUL. in tr. de Rosar.

Luxuriosus Presbyter, dum nequidquam dehortante Abbate, nuptias celebrat, thalamumque ingreditur, semen simul et animam effudit. *Spec. Ex. dist. 1, ex. 96.*

Lubecensis quidam juvenis, cum matrem irreverenter tractasset, ut libidini vacare posset, tandem ex materna domo in publicum prostibulum cum scorto aufugiens, cum omnes pecunias consumpsisset, fame et desperatione adactus cultro seipsum miserandum in modum interemit, ut fuscus Drexelius describit, in *Niceta, c. ult.*

Quidam claris natalibus in Picardia diu in puellæ turpi consuetudine vixerat, et patrato homicidio, cum illa in aream Moyencurtiam ditioris Comitum de Sauli confuge-

rat, ubi, ne vivus in militum a Rege Henrico IV missorum manus veniret, nequidquam matre, sororibus ante castrum lacrymantibus, et Regis nomine impunitatem promittentibus, si veniam precaretur, maluit in insanis amoribus mori. Quare pyram instruxit, cui subjecto igne uterque imminens alter alterum applicato ad caput sclopo glande trajecit, projectis in temporaneum ignem corporibus, animis in æternum ignem præmissis. *Pæd. Chr. p. 1, c. vii, §3, n. 8.*

Lulovius Goffredi, Sacerdos Massiliensis, cum reperto inter patris libros magico volumine, ex eo Dæmonem evocasset, eique se ea conditione mancipasset, ut per triginta octo annos et valetudinem integram servaret, et cujuscumque mulieris usum procuraret; completis quatuordecim annis, quos Diabolus loco triginta octo subdole posuerat et ipse in omni licentia consumperat, tandem ab ipso Dæmone ex ore obsessæ puellæ proditus, ignique adjudicatus, sine penitentia misere obiit. *Ib. Hist. iii.*

Frater quidam senex cum in gravem incidisset ægritudinem, timens, diutius esse molestus Fratribus, et nequidquam dehortante Abbate Moysæ, dicens mortuum esse corpus suum, in Ægyptum abiit, ubi virginem sibi fideliter ministrantem, postquam convalescerat, corrupit, genitumque et ablatum filium in humeros suscipiens, atque ad Fratres rediens in Ecclesiam coram multitudine dixit: Videtis hunc infantem? Filius est inobedientie. Cavete ergo, Fratres, quia in senectute hoc feci, et orate pro me. *Vit. PP. l. VI, l. de Sor. n. 12.*

Adolescens amore Monialis insanens, eo jam illam pellexerat, ut nocturnum tempus fuga decerneret. Ad horam adest ille, et ecce templum apertum reperit, ingreditur; omnia lugubri cantu resonare, in ipso templi umbilico fanus consistere, circum funalibus colloccentibus advertit. Hinc illine protensis super faciem cucullis considerant Monachi, Officium defunctorum terrifico vocis sono persolventes, anxius igitur aliquem de his Religiosis trahit, et enjus hæc sint exequiæ, rogat. Talis domini, respondit aller, ipsum suo nomine compellendo. Attonitus, alterum vellicat, idem audit. Hic ad nomen suum, et feralem pompam totus tremens se mox proripit. Unde vix pedem e templo extulit, cum ingentes duo, ac nigerrimi molossi in eum insiliunt, et Moniali e muro

opportune spectante miserrime discerpunt. *BULING. in trium. Cast. die 2, c. xiii.*

Chiquisacæ in agro Peruano, vir conjugatus decem totos annos Confessionis officium intermiserat pellici turpiter addictus. Cujus hominis statum Sacerdos Societatis Jesu cum rescivisset, eum ad Confessionem invitavit et hujus obeundæ diem dixit. At adulter promissi ponitens tempus destinatum non observavit: quin tota urbe otiosus cum ad defatigationem vagatus esset, domum rediit, cui occurrunt repente sex simii terribili aspectu, ac minaci, quos pone sequens agebat squalidus homo, facie horrenda, oculis ardentibus, meram spirans crudelitatem. E vestigio jussit simios palentem, ac pavore contabescentem hominem vinculis constringere, adstricto eoque acerbe verbera infligere; quod liberalius etiam fecerunt, quam jussi esse videbantur, pessimeque affectum pro desperato reliquere. Forte uxor domo abfuerat, quæ reversa maritum humi jaecentem, immo emorientem offendit, mox Confessarium evocat; qui protinus advolans, defectum sensibus cum reperisset, expectavit, dum se via ostenderet, qua juvari posset miser. Rediit sensus, at lingue vis loquendi defuit; oculis tantum omnia tacitus arbitratur, atque attonito similis, ubi esset ignarus, ac simiorum iterato aspectu perculsus, quo se verteret infelix, non habebat. Consilium erat bestiarum infernalium, tantum terroris desperationis incutere homini, ut eo statu animam inquinatissimam recta in Tartarum abripiendam emittere. Quare si quando oculos in crucem attolleret, circumstantia monstra atrocissima quæque misero minitabantur. Sacerdos interim identidem lustrali aqua cubiculum aspersit; et tandem cum simii usque infestarent ægrum, depromptis S. Ignatii reliquiis ejus os ita attigit, ut linguam contingeret, postulantibus interim Divi suffragium circumstantibus. Secundum has preces flatum æger vehementem pectore emisit, ejus graveolenti omni nephiti tetricior omnes procul abegit. Spiritus hic fortens secum eduxerat vim animum occupantis stygii Tyranni, sed non universam; detinuerat lingua, vox redierat, rigebant tamen livide immoediis plagis brachia, ut nec erigi, nec colligi ad crucis signum efformandum possent. Verum ea is adnota S. Patris lipsana mox colore ac dein vigorem omnem restituerunt. Agnovit adulter



sue impietatis et petulantiae magnitudinem, proin respiciens, omnem flagitiorum sententiam per Confessionem eiecit, vitamque egit puriorem. *Annua Prov. Per colleg. Chag.*

Dominus quidam in Pedemonte suspectam conjugem de adulterio habens, cum simulato itinere noctu rediret, explorassetque, ingressus cubile armatus cum duobus aliis adulterum jubet a sua conjugē illico suspendi, ad quem finem ingentem clavum, quo axes curruum firmantur, afferri, trabique tabulati infigi; allataque scala adultera reo cogitur funem injicere, quam in rem vetula socia sceleris, et internuntia jussa est, operam conferre. Homine misere sublati infamis lectus comburitur, cubile vero, omni suppellectile elata, omnino vacuum, tantum straminis adhuc retinuit, quod pro duorum canum strato sufficeret. In hoc cubile conjux cum vetula clausa que fetore suspensi illic cadaveris contabescerent; quem in finem januam fenestrasque omnes muro obduxit præter exiguum foramen, per quod aquam et panem captivæ acciperent; ita contabere intra paucos dies. *SCHWARZ, Comment. Rev. Mem.*

Cum Aurelianus Imperator Julianam jusisset in lupanari constitui, multi qui circumstabant, scelesti et nefarii homines, certatim contendebant, qui ad eam primus ingrederetur, erant enim velut equi hiniennes, ejus puellæ forma compulsi. Mox vero Angelus Domini descendit de cælo et dixit: Ne timeas, Juliana, Dominus enim Jesus Christus quem tu colis, misit me, ut te protegam, et sanctum nomen ejus notum faciam omnibus timentibus eum. Cum vero impudici illi a cepto illo minime desisterent, Angelus excussit et pedibus suis pulverem, et in eorum oculos injectit, ita ut eos excecavit. Quapropter neque amplius cernebant ubi essent, aut quo irent, neque ad illam accedere poterant; id cum turba vidisset, quod admirabiliter factum fuerat, uno animo clamabat: Magnus est Deus Pauli et Julianæ, qui ubique eos servat, et protegit qui illum timent. Qui autem excecati fuerant, flexis genibus supplices ejus opem implorabant, dicentes: Juliana, serva Dei altissimi, peccavimus quidem contra te, eum stulte atque insipienter nos gesserimus; sed tu da, quesumus nobis veniam, ut Dei serva, et precare Christum tuum, ut nobis visum restituat. Eorum misericordia commota Ju-

liana, paulum aquæ accepit, et cum oculos in cælum extulisset, Deum invocavit, ita dicens: Domine Jesu Christe, auctor omnium salutis, exaudi me, et nunc etiam ostende miracula et prodigia quæ facis propter nos filios hominum; restitue his viris facultatem videndi, ut sanctum et gloriosum nomen tuum celebretur. Hæc cum dixisset aquam supra turbam intudit, et omnes, qui excecati fuerant, visum receperunt. Tum illi ad terram prostrati Deo gratias reddebant penitentiam agentes. Cumque peccata sua confessi essent, Christiani facti sunt. *METAPH. in vit. S. Pauli et Julianæ, Mart. c. XVII, apud Sur. 17 August.*

Rodericus, Gothorum Rex, in Hispania, Juliani Comitis Calabriae filiam per vim stupraverat. Qua injuria motus pater ingentes adversus eum Saracenorum et Maurorum copias in Hispaniam advocavit, a quibus Rodericus cum filio est interfectus. Quo factum est, ut imperium tum Gothi in Hispania amiserint. Feruntur autem cæsa ex utraque parte septies centena milia hominum; atque ita ruina et mutatio regni Gothici extitit a libidinis et luxuriæ pœna. *Ex Joan. Mag. Th. Pol. l. VI, c. II.*

#### EXEMPLA DOMESTICA.

S. Franciscus Xaverius tantopere aversabatur hoc vitium, ut contra impuram cogitationem in somno obvientem ad sanguinem usque certaret. *Vita.*

B. Aloysius adeo mulieres et luxuriam fugiebat, ut ei nativam cum his discordiam intercedere quis crederet. Nullam certe etiam consanguineam aspiciere sustinebat. *Vita.*

P. Jacobus Laynes Romæ a femina ad flagitium allectus, tanquam sensus expertus, et tanquam statua aliqua nihil sentiens, gravi oratione eam deterruit. Ipse tamen postea confessus est, consultum se facturum fuisse, si confestim aufugisset. *Hist. Soc. l. VIII, p. II, n. 210.*

P. Matthæus Boys, cum adhuc novitius mense adhibitus verba aliqua impudica audivisset, tanto mox dolore et iracundia exarsit, ut ex oculis lacrymæ, ex naribus sanguis copiose profluxerit. *Annua 1611.*

P. Gabrieli de Logrono noctu vigilantem cum obscena cogitatio incidisset, nudus

prope a lecto prosiliens ad hydriam aqua gelida plenam accurrit, [æque a capite ad calcem usque maxima noctis parte se perdidit. *Annua 1612. Coll. Mexic.*

P. Laurentius Magius Romæ ad feminam agrotam vocatus, cum ab illa ad flagitium sollicitaretur, spatium secedendi petivit, facieque tota stercore oblita rediens, eo spectaculo et fetore, mulieris flammam extinxit. *Ex Ms.*

P. Ferdinandus Paterna vocatus ad confessionem ignote femine, cum domum ingressus multas feminas reperisset, blandis primis verbis, postea vero aperta vi ad peccatum allicientes, invocato Deo, eoque quo potuit, modo eas repellens, concitata demum fuga aufugit. *Annua 1614. Coll. Gatin.*

Bartholomæus Mariana tantopere hoc vitium aversabatur, ut ne nominare quidem id unquam voluerit, sed circuitione verborum sit usus, ne vel solo nomine fabra contaminaret. *Annua 1598. Coll. Brix.*

Joannes Berckmannus diceeresolitus erat, cum, qui sit impurus, nequiores fieri ipso Diabolo; hinc non poterat Confessiones S. Augustini unquam legere. *Vita, p. II, f. 72 et 83.*

#### EXEMPLA PROFANA.

FUGA. — Democles adolescens formosus, cum lavaturus advertisset, Regem Demetrium sua forma captum, detracto vicini alieni operculo in ferventem aquam insiluit. *PLUT. in vita Demetr.*

Spurina advertens formam suam ad inhonestum illicium esse, oris decorem vulneribus confodit, maluitque tantam elegantiam, quam minimam verecundie jacturam facere. *Drex. in vita Jos. c. IV.*

Democritus oculos licentiores evagari nec redire sine fœdis cogitationibus deprehendens, seipsum utroque lumine privavit, malens cæcus, quam impudicus esse. *Ibid.*

P. Scipio Africanus captivam virginem, et formæ excellentiam ævi sui miraculum, nec quidem videre voluit, ne a libidine vinceretur, qui tot civitates expugnasset. *GELL. Noct. Attic. c. VIII.*

Baldinus Orientis Imperator absente conjugē, ne aspectu quidem ullam feminam. Bis quavis hebdomada promulgari jussit,

ne quis in Palatina domo dormiret, qui alienam feminam attigisset. *DREX. loc. cit.*

QUALITAS. — Proculus Imperator Romanus eo jactantiae infamissimè prorupit, ut assereret, se spatium dierum quindecim centum virgines in Sarmatia bello captas ingravidasse. *MARCH. Tub. Sac. tr. II, lec. v.*

Periander Corinthius inter septem sapientes numeratus adeo insatiabilis fuit luxurie, ut cum propria uxore Melissa, vel, ut aliis placet, meretricis post mortem ipsius congressus fuerit. *HERODOT. l. V.*

Damon Peripolsa, insigni forma adolescens, videns Romanum quendam Prefectum, stuprum sibi per vim machinari, eundem cum aliquot sociis fuligine tectis in foro sacrificantem interemit. *RAVISIUS text. in Offic. l. V, c. LII.*

Quidam Thracum Princeps Timocliæ Thebanæ mulieri per vim inferens stuprum, ab ea ad puteum ductus est plurimum auri ibi latere mentiente, cui, dum pronus inhiat, ab ea in puteum præcipitatus, et lapidibus obrutus est.

Improba libido subegit Sextum Tarquinium ad stuprum Lucretiæ inferendum, in quo eo majus flagitium extitit, quo minus hæc alienæ libidini connivebat, ceterum exitus non minus isti (siquidem patria pulsus est) quam huic, quæ seipsam interemit, funestus fuit. *Ibid. Sab. l. IV.*

#### SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut si filius Regis purpura indutus in luto se volveret, merito insanus judicaretur; ita non minus insipiens censendus est, qui purpura gratiæ divini ornatus se in luto venerarum voluptatum volutat. *NIEREMB. in lib. de Ador.*

Sicut si coctus laterculus in fluvium abjiciatur, diu ibi salvus permanebit, secus vero si coctus non fuerit; sic homo divini charitatis igne accensus etiam in tentationibus subsistet, non item qui eo igne caruerit. *Vita PP. l. VII c. II, n. 1.*

Sicut spongia humida admota subjectam humiditatem haurit, participatque; ita quoque cogitationis infirmitate laborans, si ad carnales homines accesserit, aut multum cum his sermonem miserit, commune eum iis damnum participabit. *S. EPHR. Orat. de Abstin. a consuet. per.*

Sicut naucletus in portu naufragium fa-



ciens non meretur veniam; ita nec is, qui post nuptialem portum illicitæ libidini vacat, defensionem habebit. S. CHRYS. h. III. *de Ozia*.

Sicut oleum cutem molli, sed interiora mordet; ita libido petulantiam carnis provocat et auget, sed animam stimulis conscientie pungit. DÆX. in *Tob.* p. 1, c. XI. §2.

FIGA. — Sicut certa agritudine laborantibus prodest, ut cibi noxii ne oculorum quidem obtutibus offerantur; ita plurimum confert ad depellendam luxuriam, ut etiam ab aspectu objectorum allicientium caveatur, juxta illud: Procul ab oculis, procul a mente. CASS. I. VI, c. III.

Sicut si quis aliquem eo pervenisse impudentiæ cerneret, ut nudus incedere, conoque corpus mergere non erubesceret, commiseratione potius, quam imitatione dignum censeret; ita et is, qui luxuriæ sordibus se inquinare sine rubore consuevit, deplorandus potius, quam imitandus est. DADRÆUS in *Loc. Com. V. eod.*

DAMNUM. — Sicut animalia diu in stercore jacentia deturpantur, et computrescunt; ita homines in hoc vitio diu hærentes, Deo penitus abominabiles fiunt; jumenta quippe in stercore computrescere est carnalis in fœtore luxuriæ vitam finire. S. GREG. I. XXIV. *Mor.* c. VI.

Sicut cimex vivus magnam corpori, cui adhæret, molestiam creat, nec quiescere sinit, si vero comprimitur, tetrum odorem afflat, et maculam in cute relinquit; ita libidinis vitium carnem non sinit quiescere, donec turpitudinem operetur, quæ fetorem et maculam in corpore et anima relinquit. MARC. *Hort. Past.* tr. IV, lect. VIII, prop. 2.

Sicut illi, qui post ebrietatem ad se redeunt, guttur ex vini fœcibus magna ariditate infectum experiuntur, ita ut vinum nauseent, et aquam desiderant; ita post usum luxuriæ cor amaritudine penitentiae repletum detestatur voluptates præteritas, et lacrymas, quibus amaritudinem fuget, expetit. Ib. prop. 3.

Sicut tinea sine sonitu perforat vestimentum; ita cogitatio prava sine eo, quod mens sentiat, eam aculeo admitti desiderii transfigit. S. GREG. I. *Mor.* c. XXV.

Sicut hostis adversarium suum, si omnino occidere non potest, vulnerare saltem, quantum potest, conatur; ita Dæmon si non potest omnino in consensum aut morosam delectationem pertrahere, saltem simpliciter delecta-

tione animum humanum corrumpere ac vitare conatur. JAC. ALV. I. II, l. I, p. 2, c. v.

Sicut spinæ meliorem, magisque substantiosum terræ humorem imbibunt, steriliemque et infecundum bono semine relinquunt; ita pariter voluptates carnis intellectum, affectum, aliasque animæ potentias adeo absorbent, sibi que attrahunt, ut pro applicatione sui ad res divinas omnino steriles remaneant, naturam nostram corruptam ad voluptates totaliter inclinant, ideoque a corporis maceratione, a jejuniis, disciplinis, oratione, solitudine, aliisque pietatis exercitiis horrorem et aversionem concipiunt, omniaque bona proposita deserunt; unde sequitur, quod, ut S. Philippus Neriis dicebat, quantum amoris creature, quam amamus, tribuitur, tantumdem postea Creatori subtrahitur. MANSI, d. I, n. 5.

Sicut caro porcina cum comeditur, nostræ adhæret carni, ut jam sit una caro; sic transgressor præcepti Domini spurcos sibi sociat spiritus, et adherendo eis, unus cum eis efficitur Dæmon. S. BEAN. *s. de S. Benedicta*.

Sicut perversi quidam et subdoli homines, quorum studium est, et propositum ex aliorum bonis discescere, eam tamen potentiam non habent, ut aperta violentia utantur, vias insidiosè obsidere solent, et si locum aliquem circa illas, aut convallibus profundis interruptum, aut damorum densitate obscurum viderint, in illum sese abduunt, et hujusmodi velamento viarum circumquaque conspectum, ne prævideantur, smolli; ex opinatio illos adorant, ne quisquam eorum laqueos periculosos videre prius queat, quam in illos incidat. Ita et Satan infensus nobis et antiquus hostis, mundanarum oblectationum umbris sese insinuans, quæ periculose circa vitæ hujus viam latroneum occultare solent, et latibula præbere insidiarum, inde improvisis nobis perditionis laqueos obsterit. S. BASIL. hom. XXXVII.

Sicut labra phialæ melle imbuta solent, in qua potio aliqua medicinalis et amara, valdeque fastidiosa propinatur, ut prelibata hac dulcedine, potio illa tanto avidius epotetur; ita et Diabolus per rerum carnalium concupiscentiis, et illicitas voluptates extrinsecus blanditur, intrinsecus insidiatur, interficit spiritum, dum oblectat affectum; modo delectat peccare, sed postmodum non delectabit ardere. S. EUSEB. EMIS. h. III. *de Ep.*

Sicut homo nobilis, cum in ebrietate obliviscitur suæ nobilitatis, status ejus exonoratur, et irridetur pretiositas ejus propter alienas cogitationes, quæ supervenerunt eidem ex vini virtute; ita castitas sacri viri turbatur ab incauta muliercule locutione, et eradicatur ab illa omne sustentaculum laudabilis status sui. PRÆB. *de Conc. mundi*.

Sicut corvus in cadaveribus primum oculos petit; ita Diabolus in hominibus carnalibus intellectum discretionis extinguit, et sic per oculum cerebrum extrahit, quia extincto discretionis intellectu sensum mentis evertit. HUGO DE S. VICT. *l. de Mon. Inst.* c. XXXV.

Sicut virginitas hominem sequat Angelis, immo plus eum facit, quam Angelum; ita luxuria hominem quasi bestificat, et, ut ita dicam, multo pejorem bestia ipsum facit. De nullo alio peccato legitur dixisse Deum, se ponitè fecisse hominem. S. EUSEB. *Episc. ad Dam.*

Sicut avis, quæ in viscum incidit, captam se esse sentit, et evadere quidem hinc inde millios nititur, nec lamen videt, quod per illas alarum concussionem et agitationes plumarum se visco tanto tenacius innectat; idem quoque ei accidit, postquam rete ingressa fuit, tunc enim inde se quidem propripere nititur, sed quanto id impensius facere conatur, tanto pluribus ipsa vinculis et funibus implicatur. Idem quoque circa hominem carnalem contingit, quia tametsi nonnumquam bonam habeat voluntatem, qua vellet deinceps non amplius per hoc peccatum offendere Deum, et se ipsum, nihilominus quo magis conatur evadere, tanto magis implicatur. MANSI, d. 18, n. 2.

Sicut sagena totum fluvium occupat, et nullus piscis effugit; sic cor mulieris totum vicium vel civitatem, vel regionem, in qua habitat, occupat, et omnes capit voluntate et desiderio, licet multi effugiant eam, nullus tamen effugit cor ejus. HUGO CARD. in *Eccl.* c. VII, 27.

## MOTIVA.

Quia hoc vitium *amplitudine, diuturnitate et fecunditate* omnia alia vincit; nam, uti recte S. Chrysostomus dixit, ex hoc malo quasi ex fonte nascuntur ebrietas, crapula, magna injustitia, avaritia et innumera alia mala. S. CHRYS. h. XXI. in *Gen.*

Quia est *insatiabile*; hinc hydræ non immerito comparatur, cui, si unum caput abscederis, aliud excrecit. Clarius vero Salomon idipsum confirmans: *Tria sunt, inquit, insaturabilia, et quartum, quod numquam dicit: Sufficit!* Infernus, et os vulvæ, et terra, quæ non satiatur aqua. Ignis vero (præcipue luxuriæ) numquam dicit: *Sufficit!* (Prov. XXX, 16.) Quod etiam confirmans Idiota ait: *Amor carnalis insatiabilis est, extinetur reaccenditur, et post copiam rursus inops fit, animumque virilem effeminat, et præter passionem, quam sustinet, nihil sinit aliud cogitare, quia rationis oblivio est.* IDIOTA, c. XXXIV. *de Amor div.*

Quia est *immedicabile propinodum*; nam, uti recte Lactantius dixit, quasi clavus suffigitur anima corporeis voluptatibus, et cum semel adhæserit cupiditibus demersa terrenis, difficile in altum potest, unde descendit, sine Dei favore revolare; actum enim suorum vincita laqueis, et secularium deliciarum illecebris obnoxia jam tenetur. S. AMBR. *Luc.* c. IV.

S. Chrysostomus vero non horruit dicere, tam difficile esse luxuriosum castitati, quam mortuum vitam restituere. (S. CHRYS. h. XXIII. *ad Pop.*) Cujus rationem reddidit S. Hieronymus, quia avaritia cum marsupio, superbia cum vestibulo deponitur, at libido carni insita est; carnem vero quis deponet? Hinc sicut cum silvam ignis corripit, non opus est pabulum apponere; ita nec libidini necesse est nutrimentum aliud sufficere, cum carnem ad manum habeat. (S. HIER. in *Reg. Monach.*) Quam ob causam Oseas dixit: *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum, quia spiritus fornicationis in medio eorum est, et Deum non cognoverunt.* (OSÉE v. 4.) Et Tertullianus luxuriam inenatabilem excusis profundum, inextirpabile impactis naufragium, et irreparabile devoratis hypopyrelium vocat. TERTULL. *l. de Idol.* c. XXIV.

Sed et S. Ambrosius sapienter advertit, in tantum anima agglutinatur corpori, ut in ipsomet momento nihil aliud cogitare homini liceat, aut intendere, quia ipsam mentem captivam subdit ipsa submersio et absorbitio libidinis et concupiscentiæ carnalis. (S. AMBR. in *I. Cor.* VII.) Et confirmans idipsum S. Hieronymus: *Cætera peccata, inquit, post factum penitentium habent, et licet invitent, tamen mordet conscientia; voluptas sola et libido etiam in ipso tempore*